

CAPUT. VI.

DE RATIONE TRACTANDI
PER APODIXIN ET DEMONSTRATIONEM,
QUAM METHODUM SYSTEMATI-
CAM VOCANT.

§. I.

Modus tractandi apodicticus seu systema-
ticus dicitur, cum morum præcepta, ex
principiis suis deducta, ordine propo-
nuntur, definitionesque, divisiones &
axiomata apta & concinna methodo ex-
hibentur: quæ exquisitior, ac ad tradendum aptissi-
ma ratio in scholis potissimum usurpari cœpit, hodie-
que tanquam præstantissima retinetur. Investigantur
ibi causæ & effectus, muniturque regulis discantis
animus, ut non sciat modo generaliter quis sit finis E-
thicæ, quod subjectum & objectum, quæ media; sed
ut omnium istorum naturam, requisita & affectio-
nes penitus quam accuratissime cognoscat, idque
vel ad compendium, si brevibus nudisque defini-
tionibus ac divisionibus, adjunctis subinde exem-
plis, præcepta morum instillantur: vel secundum
amplitudinem, si non colliguntur tantum nuda præ-
cepta, sed quæ probationis indigent, simul declaran-
tur & confirmantur, qua uberiori dissertatione pro-
positis dogmatibus eo major lux affulget. Ita vero
comparata esse debet hæc institutio, ut nec multipli-

*Modus tra-
ctandi apo-
dicticus seu
systemati-
cus in quo
consistat?*

*Hæc insti-
tutio quo-*

Nnn 3

catis